

cum Sancto Antonio et conditionem hanc obtulisse, ut si mulus ejus famelicus ad eucharistiam honorandam prius accurreret quam ad pabulum propositum, se crediturum. Acceptavit conditionem vir sanctus et missa facta, protulit in publicum eucharistiam, et adjuravit mulum tri-duena inedia confectum, uti in virtute creatoris sui quem revera manibus gestaret, accederet et reverentiam ei præstaret, quò circumstans hæreticorum turba crederet. Mirum! Animal, relicto pabulo, occurrit ad eucharistiam, et curvatis genibus demissoque capite eam se venerari indicavit; magno catholicorum plausu, hæreticorum confusione. Quarto, S. Bernardus virtute s. eucharistiæ dæmones ejecit (ut refert Wilhelmus abbas; in ejus vita) cum his verbis: *Adest, inique spiritus, judex tuus, adest summa potestas; jam resiste si potes.* Jam vero quis discere ausit Deum edere miracula in confirmatione rei falsæ? Annon eo ipso Deus errores plantaret et propagaret, hominesque deciperet? Sed negant illi hæc omnia facta esse, vel aiunt dæmonum ope patrata. Quid? Tot tantisque historicis fidem non dabimus; et hæreticis pauculis novatoribus credemus? Ope dæmonum si fieri miracula in confirmationem falsitatis permitteret Deus, nisi eadem contrariis destrueret et ficta ostenderet, perinde foret ac falsitatem ipsam confirmare. Absit igitur ut hoc faciat Deus, et facilius est nobis dicere: Calvinus mentitur, Zwinglius mentitur. Aliam historiam scribit Thomas Waldensis, lib. sacramentali contra Joan. Wiclefum his verbis: « Historiam refero, quam ego præsens vidi oculis carnis meæ, in cathedrali ecclesia S. Pauli Londini, ubi venerandus Cantuariensis antistes felix recordationis Thomas Arundelus filius et frater comitum, pro loco iudicii (assistentibus sibi Norvicensis Ecclesiæ tunc præsule Alexandro et aliis) residens episcopali sede, verba quædam et interrogationes proponebat de fide eucharistiæ ad quemdam sartorem de partibus Wigornia deprehensum in hæresi. Cumque flecti omnino non posset, nec aliud quam benedictum panem, sacratissimam hostiam volebat appellare vel credere, tandem jussus facere reverentiam hostiæ, respondit blasphemus: Vere, inquit, dignior est aranea reverentia. At illico de alto culmine tecti descendens ingens et horrida visu aranea, ad os blasphemæ directo filo pervenit. Et dum sartor loqueretur, ut intraret per polluta labia aranea, sollicitè laborabat. Adstitit illustris princeps Thomas Oxoniensis dux tunc regni cancellarius et vidit prodigium. At prædictus archiepiscopus statim surgens cum aliis, exposuit omni illic collecto populo, quid xultrimanus Domini faceret in blasphemum. » Hæc ille.

V. Ipsemet Lutherus fatetur, in l. de missa angulari, diabolum diu secum disputasse, ut hæc sibi hæresin persuaderet. Quis autem dubitat hæresin persuadere voluisse patrem mendaciorum et hæreticorum? Sic enim et B. Fulbertus episcopus Carnotensis affirmabat, diem extremum agens se diabolum vidisse tenui flatu homines impellentem ad Berengarium, olim discipulum suum, qui post Scotum, ut vidimus, hæc hæresin docuit.

Tandem provocemus ad Deum judicem et contendamus cum illis, quasi jam in extremo iudicio constituti et interrogati circa hunc articulum de eucharistia: Cum Dominus quæret a nobis, cur hæc de eucharistia fidem tenuerimus, respondeat nobis licebit: Si in hoc erravimus, a te Domine decepti sumus, qui nos ita docuisti expresso verbo tuo. Numquid tibi de te credere non debebamus? Deinde, consensus Ecclesiæ tuæ nobis idem persuasit: accessit ejusdem praxis: miracula etiam plurima. Ad hæc audiebamus dæmonem contendisse semper evellere fidelibus hunc articulum, utque patrem mendaciorum, sed quid respondebunt Zwingliani et Calvinistæ? Si enim dicant: Nos Calvinus ita docuit, etc. audient: Nonne ego contrarium docui? Nonne et apostolus meus? Et nonne apostolus ille scripsit: *Etiamsi angelus de cælo vobis evangelizaverit, præterquam quod accepistis, anathema sit?*

Maneat ergo hæc de s. eucharistia inconcussa fides, in qua nos conservare et salvare dignetur Deus, cui sit honor et gloria.

### CONCIO VII.

CAUSE, CUR IN SOLEMNITATE CORPORIS CHRISTI, SOLEMNI PROCESSIONE CIRCUMFERATUR EUCHARISTIA.

I. Ut sic fidem nostram protestemur. — II. Ut Christo debitum honorem deferamus. — III. Ut gratos nos exhibeamus Christo. — IV. Ut sic compensemus Christo injurias pro nobis acceptas. — V. Ut hoc præsidio urbem nostram muniamus.

### THEMA.

*Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Matth. ult.*

Stupendum humilitatis et pietatis exemplum præbuit David, II. Reg. VI. cum de domo Obdedom introduceret arcam fœderis in civitatem suam. Ipsemet enim: *Percutiebatur in organo armigatis et saltabat totis viribus ante Dominum, ac cinctus ephod lineo. Et David et omnis domus Israel ducebant arcam testamenti Domini, in jubilo et in clangore buccinarum.* Quæ dum ipse magna cum laude et summa pietate faceret, Michol ejus uxor regem subsannavit quasi rem scitri-

lem et rege indignam designasset. Sed tantum abest, ut hac obtreptione David a proposito suo dimoveretur: ut magis etiam eo continuando firmaretur. Davidis exemplum imitatur Ecclesia dum solemnè pompa deducit et comitatur eucharistiam, quam repræsentabat arca (ut enim in arca servabatur manna, ita in speciebus panis latet corpus Christi.) Et quidem optima mente ex mera in Deum pietate et observantia facit hoc Ecclesia; non desunt tamen hæretici, qui cultum et solemnitatem hanc subsannent, quasi rem nugatoriam, imo idololatriam peragamus. Sed absit a nobis ut his sannis moveamur; quin potius alacrius in cæpto pergamus; et in præsentiarum ostendamus, quam recte et laudabiliter instituerit hoc Ecclesia.

I. Ut hæc ratione fidem nostram publice protestemur adversus hæreticos, et victoriæ de illis obtentæ trophæum ostendamus. Hanc enim protestationem exigere videtur a nobis ipsa ratio temporis, quò fides catholica floret, nec impeditur amplius, ut olim per gentes, a solemnè hac professione. Olim quidem Christiani dominantibus adhuc gentibus confessi quidem semper sunt hujus sacramenti veritatem, sed ob immania pericula non audebant ita publice id facere, nec pretiosam margaritam producere in lucem, ne porcorum (gentilium) pedibus conculcarentur: atque ita Christus ibi velut in Ægypto delituit, donec adolesceret, et mortuo Herode prodiret. Ubi verò pax Ecclesiæ reddita est, tum ipsa magis magisque extulit vexillum hujus sacramenti; et tandem anno 1264. Urbanus papa IV. solemnitatem hanc instituit postquam Christus B. Julianæ alisque quibusdam famularibus suis insinuasset festi hujus institutionem inchoandam et promovendam, apud Car. Sigon. de rebus Ital. anno 1264. Equissimum igitur est, ut omnes Christiani in hac solemnitate veritatem hujus sacramenti publice profiteantur. Quod si Joannes evangelista de quibusdam principibus, qui crediderunt quidem in Christum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ne eji-cerentur de synagoga, dixit: *Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei.* Joan. XII. quid quæso diceret de nobis, si modo cum omnis timor pœnæ abest, ob solam obtreptionem paucorum hæreticorum, veritatem hanc publice confiteri non auderemus? Novimus quid Christus dixerit. Luc. XII. *Quicumque confessus fuerit me coram hominibus: et Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei.* Merito igitur hæc solemnitatem publice et quam possumus celeberrime peragimus cum pompa et ornatu, cum musica et organis, cum loribus et ramis, campanarum et tubarum so-

lenni, etc. ut his quasi concordibus et intrepidis vocibus fidem, adeoque Christum ipsum confiteamur.

Deinde, eo ipso quo nunc Calvinistæ et Lutherani adversantur huic veritati (dum illi omnino hi vero negant extra sumptionem esse Christum in sacramento) deferendum a nobis est alacrius et cordatius, ut eorum errorem et novationem confundamus: *Ipsique in conspectu tanti splendoris debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti aliquando resipiscant,* ait Conc. Trid. sess. XIII. c. V. De Cisca hæreticorum in Bohemia duce et antesignano refert Enas Sylvius, l. III. comment. de rebus gestis Alphonsi regis, quod cum variis tumultibus catholicos vexasset, moriturus præceperit, uti mortuo sibi pellis detraheretur et tympanum inde fieret, quò in præliis pulsato suorum accenderet animos; et catholicos vel mortuos terreret. Sed licet peccator ista dentibus suis fremeret et tabesceret, desiderium tamen ejus perit. Nos longe efficacius medium opponimus hæreticis ad retundendam eorum perfidiam, dum s. eucharistiam a tempore apostolorum semper venerationi habitam et jam ultra 350. annos tali solemnitate cultam, etiamnum totis conatibus colimus et palam circumgestamus, hoc tympano humanitatis Christi nobis relicte auribus eorum obstrepimus, ut vel errorem agnoscant suum, vel saltem confundantur. Sic confusi sunt principes sacerdotum et Scribæ cum audierunt infantes Christo acclamantes in templo: *Hosanna filio David,* indignati enim dixerunt Domino: *Audis quid isti dicunt?* Quibus ipse: *Utique nunquam legistis, quia ea ore infantium et lactantium perfecisti laudem?* Matth. XXI. Non potuerunt illi coercere infantes, ne clamarent: nec coerebant nos hæretici, ne in hac solemnitate Christo acclamemus: *Hosanna filio David.* Convincit enim vel unica hæc solemnitas omnes novatores, quæ jam ultra 350. ut dixi, annos viget, cum ipsorum sectæ vix centum sint annorum. Et verò jure meritoque solemnitas hæc instituta: quia sententia hæc catholica, de existentia reali permanente Christi in sacramento, jam olim tot præliis vicerat. Vicit enim Joannem Scotum, qui primus huic veritati contradixerat circa annum Domini 870. in Synodo Vercellensi condemnatum omnium sententia, postea anno 883. graphiis puerorum, quos erudiebat, confossum teste Malmesburiensi, l. II. c. IV. forsitan in penam erroris, quem invenit. Vicit et Berengarium, circa annum 1500. qui tandem errorem, quem ex Scoto hæuserat, condemnavit, et edita poenitentia mortuus est. Vicit obstinatum quemdam clericum in Lesmof, oppido Hiberniæ, qui postquam suis contumaciæ pœnas dedisset, gravi infirmitate divinitus

corruptus respicit, apud Bern. in vita Malach. circa annum 1107. Vicit Albigenses qui blasphemabant hoc sacramentum, circa annum 1200. quorum aliqui imprimis super flumen ambulantes, pyxide hostiæ sacræ in flumen jacta demersi sunt, apud Cæsar. l. IX. de mirac. c. XII. deinde, ad centum millia divino miraculo devicta sunt ab octingentis equitibus et mille pedibus, an. 1213. apud Gordonum, catholicorum duce Simone comite Montis Fortis, apud Emiliam, l. VI. hist. Francor. item chron. Montfort. Merito itaque post tot victorias triumphum agere cœpit catholica sententia, solemnitate corporis Christi paulo post instituendo, nimirum an. 1264. Et hæc ipsa est quæ modernorum etiam hæreticorum oculis affligit, quomodo victoria Davidis de Goliatho, Saulis oculos contristavit. Si enim ipsi recte sentiunt, quomodo hæc sententia toties triumphavit et semper ab Ecclesia retenta est? Quomodo contrariæ opiniones extinctæ sunt?

II. Ut Christo per hoc debitum deferamus honorem, tamquam regi nostro et Dei Filio in hoc sacramento existenti. Si enim vere credimus ejus realem in sacramento præsentiam, cur non veneremur? Quis enim subditus videt principem suum, et non veneratur? Tametsi vero Christus: *Non venit ministrari, sed ministrare*, at ait ipsemet, Matth. XX. decet nihilominus at nos eum debito modo honoremus; quem admodum et princeps, licet non ideo in publicum prædeat ut honoretur, honorari tamen debet. Sane de apum rege scribit Plinius, l. XI. c. XVII. « Mira plebis circa eum obedientia. Cum procedit, una est totum examen, circaque eum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur: » item: « Circa eum satellites quidam lictoresque, assidui custodes auctoritatis. » Hoc igitur non decet facere Christianos regi suo? Nonne hoc est, quod jussit celestis Pater, Ps. II. per os Davidis loquens: *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram, servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore, apprehendite disciplinam:* (ex Hebræo vertunt: *Osculamini filium*: alii: *Adorate filium*) et apostolus ad Hebr. I. *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ* (videlicet in die iudicii) dicit: *Et adorent eum omnes angeli ejus.* Sane magi illi gentiles Christum infantem procedentes adoraverunt: ita apostoli et mulieres sanctæ, Matth. ult. Imo etiam cæcus ille natus, postquam a Christo illuminatus est et Filium Dei esse medicum suum audivit, illico proci dens adoravit eum, Joan. IX. Cujus factum luculenter commendavit Dominus, cum subjunxit. *In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant.* Ubi non

solum taxat Phariseos, sed etiam Lutheranos tangit, qui cum asserant Christum esse in eucharistia saltem in sumptione, tamen non venerantur. Quanta hæc videntium cæcitas? An igitur nos Phariseos imitabimur et gentiles, qui: *Cum cognovissent, Deum non glorificaverunt?* Rom. I. An diabolus ipsum, qui cum sciat Christum esse in sacramento, non tamen adorat, sed fugit? Habeant sibi hæretici duces istos: nos ductum sequemur apostolorum, et sanctarum mulierum, magnorum, cæci, etc. qui ob id ipsum in evangelio commendantur. Sane Augustinus, in Ps. XXXVIII. de eucharistiæ adoratione, gravibus verbis dixit: *Non solum non peccamus adorando, sed peccamus non adorando.* Placere etiam Deo hunc honorem, displicere ejus subtractionem, aperte colligitur ex II. Reg. VI. Ubi cum David saltasset toto corde ante arcam, Michol vero illum subsannasset, dixit David: *Vivit Dominus quia ludam ante Dominum, qui elegit me potius quam patrem tuum, etc.* tandemque: *Gloriosior, inquit, apparebo.* Quod et factum, quia in omnibus prosperatus est. Micholi vero quod Davidis factum irrisisset: *Non est natus filius usque in diem mortis suæ*, ut dicitur ibidem. Similem a Deo prosperitatem consecuta est invictissima domus Austriaca, ob singularem, quam exhibuit semper eucharistiæ reverentiam. Notum enim ex Jo. Alb. Widmanst. I. D. in præfat. ad ep. D. Pauli et aliis, Rudolphum comitem ab Habsburg. ad Romani imperii culmen evectum suamque evexisse familiam, propterea (cui religiosa anus ei prædixerat) quod aliquando sacerdotem, qui sacrum ægro cuidam viaticum afferebat, equo suo imposuisset, ipse pedibus consecutus esset, necnon equo illo donasset, quod indignum se judicaret sessione ejus jumenti, in quo Salvator mundi vectus esset. Notum etiam ex Surio, in chron. anno 1580. Carolum V. imp. in comitiis Augustæ habitis, ipso die corporis Christi hanc solemnitatem sua præsentia mirifice condecorasse: cum Saxo et pauci Lutherani principes inde se subtraherent. Nam imprimis multum egit per suos cum Saxone et adhærentibus ei principibus, ut publicæ illi processioni interesset: tametsi frustra. Deinde, gestante eucharistiam archiepiscopo Moguntino, qui tum etiam cardinalis erat, deducuntibus a dextra rege Ferdinando, a sinistra Joachimo Brandenburgico, præcedentibus ante eucharistiam principibus sæcularibus, gestantibus umbelam sex principibus, quibus subinde alii sex succedebant; subsecutus est imperator, nudo semper capite, tametsi sol esset ardentissimus in manu quadrifidam gerens facem: hunc secuti archiepiscopi et episcopi. Tandem omnibus rite et cum ingenti gloria pe-

ractis, Cæsar adeo acerbe tulit Lutheranorum principum detractionem, ut jusserit eos altera statim die Augusta excedere: tametsi principum catholicorum precibus ab ea sententia se deduci passus est. Hanc ergo pietatem Deus imperatori ita remuneratus est, ut omnibus perspicuum esset, eum instar Davidis in omnibus prosperatum esse et præpotentis Dei auxiliis potius quam propriis in omnibus usum, adeo ut ipsi etiam Turcarum potentissimo tyranno ejus prosperitas formidolosa fuisse diceretur, ut scribit Surius, ib. Non enim debent pii Christianorum animi prosperos hos successus fato aut fortunæ adscribere, sed gubernatori omnium Deo, qui I. Reg. II. per prophetam quemdam dixit: « Quicumque glorificaverit me, honorabo eum: qui autem contempnit me, erunt ignobiles. »

III. Ut: « Christiani omnes singularem ac rara quadam significatione gratos et memores tententur animos erga communem Dominum et Redemptorem pro tam ineffabili et plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria et triumphus repræsentatur, » inquit Concilium Trident. sess. XIII. c. V. Ubi duo potissimum beneficia Christi tangit, maximam a nobis gratitudinem postulanti, institutionis eucharistiæ scilicet et redemptionis. Quoniam ergo eucharistia mortem Christi, et quidem sub specie solius panis, in qua circumgestatur, corpus Christi exsangue significat, adeoque beneficium gloriosæ redemptionis; cur id non per modum triumphi solemniter recolamus et celebremus? Si enim Assuerus Mardochæum equo regio impositum gloriose per urbem circumduci jussit, quod ejus opera servatus esset a morte, quam illi machinabantur duo eunuchi, Esth. VI. et si senatus populusque Romanus triumphum, summum illud et magnificentissimum præmium, decernebant suis ducibus qui præclaram aliquam victoriam de hostibus obtinissent, ut videre est apud Ant. antiquit. l. X. c. XXIX. nos victori et liberatori nostro Christo, qui omnes nos devictis tenebrarum principibus in libertatem asseruit, triumphum non adornabimus? Moris apud eosdem Romanos fuit, eodem auctore, l. IV. c. XVII. ut quotannis certo die, solemnè pompa gestaretur per urbem anser, splendide admodum in lectica et veste stragula pretiosa sedens; ob eam causam, quod anseres in obsidione Capitolii, Gallis irruptionem in arcem tentantibus, Romanos claugore et strepitu excitassent ad hostes reprimendos. Et nos (liceat mihi uti hoc argumento ad confusionem hæreticorum) majorem non dabimus honorem Christo, qui non tantum suis doctrinis excitavit nos et somno victorum, sed etiam defendit nos ab ira Patris sui et furore omnium dæmonum? Quis vero de be-

neficio eucharistiæ a Christo institutæ, et nobis pro memoriali relictæ dicemus? Quid habuit tota lex antiqua, cæteroqui a Deo mirifice dotata, quod cum hoc beneficio nobis reservato comparari queat? Quid sunt oves et boves omniaque illius sacrificia, quid manna de cælo, quid arca, quid aqua de petra, quid columna nubis, quid serpens in hastili? Respectu corporis et sanguinis Domini umbræ illæ fuerunt, hoc corpus; illæ paleæ, hoc triticum. Unde si Judæi in illis gloriabantur, quanto æquius nos in isto? Neque solum veteris legis mysteriis; sed etiam novæ regis sacramentis aliis longissime antecellit eucharistia; quia ipsum gratiæ fontem et sacramentorum institutorem continet. Quod ergo est ordo Seraphicus in angelis, quod in sideribus sol, quod homo in animalibus, quod aurum in metallis, hoc est eucharistia in sacramentis; cui proinde merito solemnem instituit Ecclesia pompam. Primo quidem, ut sic Christo ob majus beneficium majorem exhiberemus gratitudinem, quod nisi faceremus rursus ipsi gentiles Romani nos arguerent, qui lupæ, quod Romulum et Remum fratres infantes expositos, urbis conditores lactasset, statuam gratitudinis ergo in urbe posuerunt, apud Livium, dec. II. Quid agit vero in eucharistia Christus: nonne omnes nos corpore et sanguine pascit? « Quis pastor, inquit Chrysostomus, lib. XIII. in Matth. oves proprio pascit cruore? Et quid dico, pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolores filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit. » Sic ille. Secundo, ut hac ratione plebs quasi manu duceretur ad præstantiam hujus sacramenti cognoscendam: quomodo ex triumphali Christi ingressu, cum turba, ramis, etc. *Commota est universa civitas dicens: Quis est hic?* Matth. XXI. Jam si multi ad eucharistiam illoti currunt, causa non est alia, quia hujus sacramenti dignitatem et excellentiam non agnoscunt vel considerant: saluberrime igitur instituta est hæc solemnitas, per quam vulgus manu ducitur ad hujus sacramenti præstantiam cognoscendam.

IV. Ut hac honoris exhibitione compensemus Christo partim contumelias et injurias, quas pertulit, et adhuc suffert ab hæreticis et malis catholicis: partim humilitatem, quam in terris exercet usque hodie in hoc sacramento. Nam imprimis ut nos salutaribus doctrinis imbueret et viam cæli doceret, quoties in terris circumibat? Circumibat totam Galilæam, docens in synagogis, Matth. IV. circumibat omnes civitates et castella docens in synagogis eorum et: *Prædicans evangelium regni et curans omnem languorem et omnem infirmitatem*, Matth. IX. circumi-

bat castella in circuitu docens, Marci VI. circumibat in passione, ut ovem perditam quæret per tristissima itinera, de cœnaculo in Olivetum, de Oliveto raptabatur ad Annam, de Anna ad Caipham, de Caipha ad Pilatum, hinc ad Herodem, hinc rursus ad Pilatum, inde ad montem Calvarie. Et quam tristis hæc ultima fuerit processio, quam lugubris pompa, ubi innumera multitudo ex pluribus nationibus spectaculi causa comitabantur afflictissimum Dominum, quis explicare queat, ibi spectatores invidi Judæi: ibi ductores carnifices: famuli lictores: socii duo nequam: musica contumelia Judæorum et fletus matris ac mulierum propinquarum: ibi corollæ roseæ spinea corona: ibi cymbalorum sonitus, tintinnabula reis appensa ex more Romanorum: ibi vexillum crux in dorsa: ibi evangeliorum cantatio frequentes in terram lapsus. Hem quam lugubris pompa! Cogitate hæc, auditores, ac si vos interfuissetis, Et quid dicam de injuriis quas etiamnum suffert Christus in eucharistia ab hæreticis præsertim Calvinistis? Annon ipsi denuo sæpe Christum crucifigunt, dum pedibus conculcant et mille injuriis afficiunt? Has igitur injurias nos amici et servi Christi jure compensamus solemniter et gloriosa pompa publici circuitus; unde si aliquando raptatus fuit per plateas, nunc per urbium compita honorifice circumgeritur: si aliquando habuit spectatores invidos et irrisores, nunc habet venerabundos: si aliquando ductores carnifices, nunc principes et viros primarios: si aliquando famulos lictores, nunc honestos et armatos cives: si aliquando contumelias audiit, nunc audit symphoniam et tibicines: si aliquando gessit spineam coronam, nunc roseam et gemmeam gerit: si aliquando in suis humeris cruce[m] ponderosam, nunc aliorum humeris præviam habet gloriosam: si aliquando socios fures, nunc viros religiosos: si aliquando tintinnabulum maleficorum, nunc cymbala, etc. Quemadmodum enim Joseph, licet innocentissimus, prius a fratribus somniator et impostor habitus, deinde in cisternam dimissus, mox Ismaelitis venditus, posthæc in cophinis manuum labore occupatus, paulo post carceri mancipatus; ad extremum tamen adeo exaltatus fuit a Pharaone, ut jam non impostor aut somniator, sed salvator mundi dictus sit: non jam demissus in cisternam sed ad secundum a rege solum evehctus; non jam ipse venditus, sed venditor esset regii frumenti; non jam in manibus suis sportulas, sed sceptrum ferret et regis annulum; non jam in carcerem compactus, sed in currum regium evehctus per urbem deduceretur, et ab omnibus flexis adoraretur genibus velut præpo-

situs totius Egypti. Ita jure meritissimo compensat Ecclesia Christo priores contumelias, quas ipse pertulit a reprobis. Quamquam si consideres, quam etiam nos catholici sæpe Christum negligamus, vel inciviliter aut etiam indigne tractemus, absque dubio fatebimur, nos omnem istum honorem, quantumcumque exhibere possumus, jure illi debere. Toto pene anno negligimus humillimum Dominum in sacrario repositum et pro nobis pervigilantem: quoties eo indigemus ægri, ad ædes nostras evocamus; multi debitam ei reverentiam non exhibent, aliqui etiam indigne sumunt. Pensate annon defectus isti resarciri debeant? Itaque pro eo quod a multis negligitur, spernitur et offenditur innocentissimus agnus, nos vicissim monet Ecclesia, ut semel in anno saltem publice reddamus ei honorem, ut cum magis honoremus modestissimum regem sub tam infanti panis specie latentem, quem cum Judæis negligunt hæretici; cum latrone confiteamur in abjecta præsentem formam, quem ejus hostes, velut Scribæ et carnifices subsannant. Placuit Christo confessio latronis, placebit etiam processio hæc solemniter.

V. Ut hoc munimento urbes et oppida nostra muniamus contra hostium incursus, ideo circum urbes et in plateis ejus eucharistiam circumgerimus, non quasi ab hac circumgestatione pendere existimemus nostram salutem; sed ut hac cæremonia partim Christum adorneamus, supplicando ut fines et domos nostras tueatur, partim ipsam plebem, ut hoc ipsum a Christo instanter petat. Constat ex II. Reg. VI. quod benedixit Deus Obededom et omnia, quæ ejus erant propter arcam fœderis receptam in ædes suas; qua re audita, David statim reduxit eam in civitatem suam. Quis ergo nobis succenseat, si hoc speremus ab ipso Christo in eucharistia, quod acceperit Obededom et speravit ab arca David? Experta est hoc præsidium ss. eucharistiæ S. Clara, apud Sur. 22. aug. quæ dum Saraceni irruerent in Assisium civitatem, adeoque in monasterium, ss. eucharistia prælata ad fores descendit, et dum Christum precaretur, ne traderet ancillas suas paganis, audivit quasi vocem pueruli: *Ego vos semper custodiam.* Appreçante illa: *Mi Domine, et hæc si placet protege civitatem, quia nos pro amore tuo sustendat, rursus audivit: Gravamina sustinebit, sed meo munere defendetur.* Nec mora, statim enim canum illorum repressa pavescit audacia, et per muros, quos jam ascenderent, celeriter exeuntes sacramenti et orantis virtutis deturbati sunt. Experti Christiani in regno Valentie, apud Luc. Marinæum, l. V. de rebus Hispan. cap. de sacris ædibus, quando anno Domini 1239. Tiderunt

Saraceni consecratarum aliquot particularum veluti vexilli cujusdam ostentatione perterrefacti, ipsi pene innumeri paucis nostris terga vertunt. Denique, si tantum præstitit imago faciei Christi Abagaro Edessæ regi transmissa ab ipso Christo, ut Casthæ Persarum rege Edessam obsidente cum imago ab Eulalio episcopo super muros urbis circumferretur, machinas hostiles combusserit et ignem in pyra contra incolas a Persis excitatum, in ipsos hostes verterit eosque exusserit, ut olim Chaldæos, Dan. III. apud Niceph. l. XVII. c. XVI. quid non sperare possumus ab ipsamet Christi reali præsentia in eucharistia?

## CONCIO VIII.

QUA RATIONE CHRISTUS SIT SEMPER CUM ECCLESIA SUA.

I. Per conservationem. — II. Per singularem directionem. — III. Per protectionem specialem. — IV. Per amorem et benevolentiam. — V. Per paternam correctionem. — VI. Per realem suam præsentiam in eucharistia.

## THEMA.

*Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Matth. XXVIII.

Ezechiel propheta cum cap. ultimo descripsisset divisionem Jerosolymæ in duodecim portas seu egressus ad omnes tribus, concludit librum suum his verbis: *Et nomen civitatis ea illa die: Dominus ibidem.* Quod quidem imperfecte competit Jerosolymæ, in qua Deus habitavit modico tempore, scilicet ab Esdra usque ad Titum et Vespasianum: perfecte vera competit Ecclesie, imò de ea sola intelligit S. Hieronymus et cum eo multi, quoniam sola Ecclesia est, cum qua Dominus constanter se permansurum promisit in hodierno evangelio. Et hinc apposite, postquam suis apostolis demonstrasset exitum in universum orbem: *Euntes docete omnes gentes, etc.* ita concludit sermonem suum: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Atque ita claudit evangelium suum Matthæus, uti prophetiam suam Ezechiel. Ecclesia ergo civitas illa est, cujus nomen: *Dominus ibidem.* Sed qua ratione? Audite.

I. Semper est cum Ecclesia per conservationem, quæ eam ita semper illibatam conservat ut nunquam deflere possit. Hoc enim convincunt verba thematis propositi. Nam si aliquando Ecclesia defecisset vel deficere posset, quomodo Christus omnibus diebus cum illa foret usque ad consummationem sæculi? Quis enim esse potest cum eo, qui non est? Neque dicat, de apostolis tantum locutus; quia apostoli non

erant victuri usque ad consummationem sæculi. In illis igitur velut primitiis Christianorum, totam intelligit Ecclesiam. Unde patet primo, Ecclesiam catholicam esse veram Christi Ecclesiam, quia ea sola ab apostolis serie nunquam interrupta deducitur, ac proinde cum ea Christus semper fuit. Sectæ hæreticorum antiquæ uti non a Christo cœperunt, ita nec cum illo semper fuerunt, sed interierunt. Patet secundo, hæreticos nostri temporis non esse in Christi Ecclesia; quia cum illis non fuit semper Christus, siquidem ante Lutherum ipsi non fuerunt. Ostendant enim fidei suæ continuationem et derivationem per singula sæcula: ostendant quibus annorum centuriis, quinam patres docuerint in eucharistia non esse verum Christum, aut non nisi in sumptione, missam esse idololatriam, papam esse antichristum, sanctos non esse invocandos, non esse liberum arbitrium, non operum merita, Deum esse auctorem peccatorum, etc. Hoc ergo cum facere nequeant in hanc angustiam compelluntur, ut dicant Ecclesiam Christi deficere posse et defecisse a tempore Gregorii Magni usque ad tempora ipsorum. Itaque per illos Christus deseruit Ecclesiam sponsam suam annis 900. circiter: portæ inferi prævaluerunt contra eam: corruit columna et firmamentum veritatis, 1. Tim. III. delituit magistra fidei et doctrix veritatis, quam Christus adiri in dubiis et difficultatibus, audiri que jussit, Matth. XVIII. Quæ omnia expresse contra sacram Scripturam pugnant et mendacem faciunt Deum.

II. Per singularem directionem, quia ita eam dirigit, ut errare et seduci in rebus fidei non possit. Unde imprimis et specialiter adest summo pontifici: non nisi salutaria et fidei conformia decreta facere ac publicare, adeoque Ecclesie navem ne evertere possit. Abrahamo patri fidei promisit olim Deus, Gen. XV. *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, juxta translationem Septuaginta interpretum: Ego hyperaspites tuus, qui scilicet te præcedo uti capitaneus suum agmen.* Idem Petro tamquam altari fidei, patri, ac petreæ ejusque successoribus promisit Christus, Luc. XXII. *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quæ oratio Christi efficax profecto est, nunquam enim permisit ut quisquam pontifex Romanus hæreticum quid decerneret aut credit præciperet. Fuit aliquando Ecclesia in magno timore, cum Vigilium hominem ambitiosum et malum Theodorem Augustæ hæreticæ fautorem ceteroqui catholicum coacta est recipere et eligere in papam; sed is magno omnium stupore repente mutatus in alterum virum hæreticos Theodorem studiosos, demumque ipsam etiam Theodorem condem-